



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 11. Passionis meditatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Ostendit eis manus, & latus. Joan. 20. 20. Christus Discipulis tam gaudioso die cicatrices vulnerum suorum ostendit, ad coërcendam omnem lætitiæ intemperantiam. Id. ib.

Nihil est, quod ita ab omnium vitiis impulsu, & contagione, cogitationem nostram purificat, & in puritate conservet; sicut jugis memoria crucis, ac Passionis Domini Jesu. S. Bernardus de Pass. D. c. 44.

Num. 4.

Oblivio Passionis.

A demonio meridiano. Ps. 90. 6. Est demonium meridianum, avertens à meridie claritatis; quæ Mundo in meridie obscurato ex morte Salvatoris insulsi. Vexatio quidem non cessat, ut homines arceantur à memoria Dominicæ mortis. Sim. Cas. l. 5. c. 24.

Inimici mei sunt quasi bestia ferocissima. Horum cor sic est vacuum à charitate mea; quod nunquam in eo intrat cogitatio Passionis meæ. Nunquam semel adhuc processit de intimo corde eorum hoc verbum: Domine redemisti nos! laus sit tibi pro amara Passione tua. Ipsorum cor plenum est vermibus vilissimis, id est, affectionibus Mundi. In ore eorum posuit diabolus sterces suum; & ideo non placent ei verba mea. l. 1. revel. 5. Brig. c. 6. verba Chr.

§. XI.

Passionis Meditatio.

Obscuratus est sol. Luc. 23. 45. Mirò modo voluit hunc Deus circumcidere oculos hominum cum tenebris densis; nè visus in objecta forinseca vagaretur; sed ut ingrederetur ad cor, ad considerationem eorum, quæ agebantur Dei Filio, & in ipso agebantur. Et diem verterunt in noctem, ut intentior fieret contemplatio arcanorum. Induxit igitur Dominus tenebras super orbem; ut nec aliquid intuerentur oculi; nec moverentur, & pedes, ut in quiete corporis, & privatione forinsece luminis sedule meditarentur hi, qui propè: similiter & qui longè Dei Filij Passionem similiter & omnem mysterij actionem. Sim. Cas. l. 13. hic.

Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu. Philipp. 2. 5. Non dicit, cogitate, contemplamini, aut loquimini, de Passione Domini; sed ut animò, & corde sentiatis. *Sentite in vobis*, id est, transferte in vos ipsos dolores, quos sensit Jesus Christus: nisi enim illos in vobis sentiatis, & experiamini, non potestis, quanti, & quam acerbi sint, cognoscere. Diez s. de Pass. Dom. Cupiebat plantare in cordibus Fidelium continuam Passionis Dominicæ memoriam; & ita insculpere, ut nunquam exideret. Non dixit, cogitate de ea; sed *sentite*. Debes considerare

Polyan. b. Sacra. Tom. II.

cum gustu Passionem Christi; & consideratio sit viva, sensualis. Cum quidpiam non sentimus, id evenit; vel quia in se est tam exiguum, ut opus sit attentione magnâ ad percipiendum; vel sensus tam obtusus, ut, licet res sit magna, egeat ad illud videndum excitatione. Cum autem Passio Domini sit res maxima, & pretiosissima earum, quæ nobis in Mundo data sunt, quâ Deus exercuit omnem suam potentiam, scientiam, & charitatem; certum est, quòd illam non percipias: quia tu insensibilior petris existis; quæ eam senserunt, & scissæ sunt, Stella de cont. an. Mundi p. 1. c. 95.

Et intus plena sunt oculis. Apoc. 4. 8. Ostenditur hic Christus non in gloria, ut Ezech. 1. 5. sed tanquam vulneratus, & occisus. Apoc. 5. 6. Tot hic meditanda, ut innumeri oculi requirantur. Sylveira hic.

§. XII.

Ex Passionis meditatione compassio, & lacryma.

Is quasi mulier jam plurimò tempore lugens mortuum; & ingredieris ad regem &c. 2. Reg. 14. 3. dicebat Joab Thecui. Quis est mortuus ille, quem plurimò, imò totò, vitæ tempore lugere debet anima Christiana; nisi Christus? qui passus, mortuus, & sepultus pro nobis. Jonghen Nupt. agni p. 1. Exh. 10.

Nolite flere super me &c. Luc. 23. 28. q. d. attendite, quòd causa fletus non est in me, sed in vobis. Hugo Card. in Gen. c. 45. Sol obscuratur, terra movetur, petra scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur: solus miser homo non compatitur, pro quo solo Deus patitur. S. Bonaventura hic. Mirum, me vidisse sæpe recolui, auditâ Christi Passione multos, etiam reprobos, prorupisse in lacrymas: quas ut elicerem ab oculis audientium concionando ad populum, stultè, nescio, an peritè, per pia verba sæpe tentavi: maximè ab illo tempore, five die, quòd Ecclesia Christum per sua officia recolat crucifixum. Cumque ad propria remeasse illos aspicerem; Christi Passionibus, & lacrymis, & virtutibus, valedixisse cognovi: & de pristina conversatione nihil mali fuisse ademptum; nec flevisse facinora, propter quæ Passio fuit collata, quam fleverant. Sim. Cas. l. 13. in Luc. 23. 28.

In monte Calvaria quatuor columnæ marmoreæ perpetuò stillantes aquam: quasi æternis lacrymis Passionem Dominicam commemorantes. Nierembergus l. de mir. nat. terræ sanctæ c. 65. ex Petro à S. Dominico.



P p 2

§. XIII